n.º traslado Bulla del Hosp.l de Utrera — De Utrera

In dei nomine Amen. Hoc est transumptum bene et fideliter extractum de quibusdam litteris apostolicis felicis recordationis Leonis pape decimi in pergameno scriptis verbis quam latinis dictatis eius vero bulla plumbea in filis sericeis rubei croceique coloris impendenti munitis hospitali resurrectionis domini nostri oppidi de Utrera hispalensis diocesis concessis veris sanis et integris non viciatis non cancellatis nec in aliqua earum parte suspectis sed omni prorsus vicio et suspectione carentibus quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Leo episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Superni dispositione rectoris militantis ecclesie quam ipse auctor pietatis instituit regimini presidentes pia fidelium vota per que divinus cultus augeri pauperum et aliarum miserabilium personarum necessitatibus consuli et Christi fidelium animarum saluti provideri valeant piis paternis affectionibus prosequimur et ut optatos sortiantur effectus quantum nobis ab alto conceditur opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane pro parte dilecte in Christo filie Catherine de Perea mulieris hispalensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat quod postquam quondam Joannes Ponce de Leon eius filius dum in humanis ageret de propria salute cogitans et cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare testamentum condens de bonis suis sibi a deo collatis in eius ultima voluntate inter cetera pia legata perenniter facta voluerat et ordinaverat quod in certis suis domibus magnis et sumptuosis unum hospitale in oppido de Utrera dicte diocesis pro pauperibus et miserabilibus personis inibi recipiendis fundaretur et institueretur dicta Catherina ipso Joanne vita functo pia devotione ducta volens primum dicti Joannis desiderium ad effectum deducere in dictis domibus unum hospitale cum nonnullis officinis et aliis edificiis pro usu et habitatione dictorum pauperum et miserabilium personarum opere satis sumptuoso construi facere incepit illudque iam perfecerit et quamplura alia caritatis et misericordie opera inco-

infirmorum

PERGAMINOS, 41
Hospital de las Cinco Llagas, leg. 3.
DIPUTACIÓN PROVINCIAL SEVILLA ARCHIVO
DIPUTACIÓN DE SEVILLA ARCHIVO

exercere cepit. Quare pro parte dicte Catherine nobis fuit
humiliter supplicatum ut sibi hospitale predictum cum ora-
torio sive capella ac campanili humili campana et sacra-
rio ac cimiterio perficiendi faciendi et in eo unam confraternitatem
utriusque sexus christifidelium vicinorum vel incolarum et habitatorum
dicti oppidi sub invocatione dominice resurrectionis instituendi
et ordinandi ac pro felici statu et directione salubri hospitalis
et confraternitatis predictorum quecumque statuta et ordinationes
rationabilia et honesta sacris canonibus non contraria cum con-
silio aliquorum proborum et sapientium virorum condendi et condita
mutandi ac in melius reformandi que sic condita mutata et
reformata eo ipso auctoritate apostolica confirmata esse cense-
antur Eidemque Catherine et personis per eam deputandis guber-
natores sive rectores et alios officiales dicti hospitalis ac unum
duos vel tres capellanos aut plures pro servitio eiusdem hospitalis
necessarios sufficientes et idoneos ad presentationem Catherine quoad
vixerit et post eius obitum personarum per eam in patronos dicti hospi-
talis nominandarum nutum ponendos et amovendos qui ibi missas
et alia divina officia celebrent et sacramenta ecclesiastica minis-
trent et confessiones confratrum et pauperum ac aliorum in dicto
hospitali audiant eosque pro commissis absolvant deputandi
licentiam et facultatem concedere ac dicto hospitali omnia et
singula bona ab illo nullis legittimis relictis heredibus ab intes-
tato pro tempore decedentium et que illi dicta Catherina et alii
christifideles pro tempore legaverint sive reliquerint perpetuo
aplicare ipsumque hospitale et eius bona presentia et futura ac
pro tempore existentis archiepiscopi Ispalensis eiusque vicariorum et aliorum
officialium generalium et aliorum quorumcumque superiorum iurisdictione
dominio et superioritate ac solutione et exactione quorumcumque sub-
sidiorum decimarum et aliorum onerum etiam in favorem fidei contra
infideles aut fabrice principis apostolorum de Urbe et cuiuslibet
alterius ecclesie hospitalis et pii loci ordinaria vel apostolica auctoritate
impositorum

pro tempore impositorum eximere et liberare dictumque hospi-
tale ipsumque patronos capellanos officiales et servitores eorum
officiis et servitio durantibus dicte sedi immediate subiicere
salutique animarum Catherine confratrum pauperum miserabilium
personarum patronorum gubernatorum rectorum officialium servitorum
et in ipso hospitali decedentium ac non dicti hospitalis honori
et commodo aliasque in premissis opportune providere de benignitate
apostolica dignaremur. Nos igitur qui pauperum infirmorum
et miserabilium personarum necessitatibus fideliumque animarum
saluti hospitalium et aliorum piorum locorum omnium commodo utilitati
et augmento providere intensis desideriis affectamus prefa-
tam Catherinam a quibusvis excommunicationis suspensio-
nis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et
penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus
quomodolibet innodata existit ad effectum presentium dum-
taxat consequendum harum serie absolventes et absolutam fore
censentes huiusmodi supplicationibus inclinati dicte Cathe-
rine hospitali predictum cum oratorio seu capella ac cam-
panili humili campana et sacrario in quo eucharistie et
ceterorum ecclesiasticorum sacramenta custodiantur ac cimiterio
in quo corpora infirmorum in dicto hospitali decedentium
sepeliri possint perfici faciendi et in eo unam confraternita-
tem utriusque sexus christi fidelium oriundorum vel incolarum et
habitatorum dicti oppidi dumtaxat sub invocatione dominice
resurrectionis instituendi et ordinandi ac pro felici statu et salu-
bri directione hospitalis et confraternitatis predictorum quecumque
que statuta et ordinationes rationabilia et honesta sacris cano-
nibus non contraria de consilio aliquorum proborum et sapientium viro-
rum condendi et condita mutandi et reformandi quecumque ipsa
que condita mutata et reformata fuerint auctoritate apostolica
confirmata censeantur et gubernatores sive rectores aliosque

L   que

Offitiales dicti hospitalis ac unum duos vel tres aut plures
Capellanos pro servitio eiusdem hospitalis a dicta Catherina
et post eius obitum personarum per eam in patronos dicti
hospitalis nominandarum nutum ponendos et amovendos
qui missas et alia divina officia in dicto hospitali super
altari portatili cum debitis reverentia et honore celebrare ac
Eucharistie et extreme unctionis sacramenta pro tempore
in dicto hospitali existentibus ministrare et illorum ac
confratrum servitorum ac confratrum servitorum et offitialium
hospitalis huiusmodi qui pro tempore fuerint Confessiones
audire ipsosque et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum
peccatis excessibus criminibus et delictis quantumcumque gra-
vibus et enormibus de reservatis videlicet preterquam contentis
in litteris apostolicis que die cene domini legi consueverunt
semel in vita et in mortis articulo in aliis vero quotiens fuerit
opportunum confessionibus eorum diligenter auditis debitam
absolutionem impendant et iniungant penitentiam salu-
tarem eidemque Catherine tam ad altare et illius totum
circuitum Capellam maiorem nuncupatam ecclesie domus
beate Marie de las Veredas ordinis fratrum minorum dicti
oppidi quod prefata Catherina opere sumptuoso construi
et edificari fecit quam extra et intra dictam ecclesiam
in locis in quibus sibi videbitur signa sive arma et alia
monumenta propria ipsius Catherine et quondam Lupi
eius viri ac dicti Joannis sculpi et pingi faciendi prefata
auctoritate tenore presentium licentiam et facultatem
concedimus Et nihilominus dicto hospitali omnia et
singula bona in illo ab intestato et nullis legitimis
relictis heredibus pro tempore decedentium et que eidem
hospitali dicta Catherina et alii christifideles pro tempore
reliquerint legaverintque perpetuo applicamus ipsumque hos-
pitale et eius bona presentia et futura ac pro tempore eius

quoad vixerit

tentis Archiepiscopi hispalen[sis] eiusque vicariorum et aliorum
officialium generalium et aliorum quorumcumque superiorum iu-
risdictione dominio et superioritati et a solutione quorumcumque
subsidiorum decimarum et aliorum onerum etiam in favorem fidei
contra infideles aut fabrice basilice predicte et cuiuslibet alte-
rius ecclesie regii loci etiam apostolica auctoritate prefata
pro tempore impositorum eximimus et liberamus et illa ac
dictum hospitale ipsiusque patronos capellanos officiales et
servitores eorum officiis et servitio durantibus dicte sedi im-
mediate subiicimus. Et quod eadem Catherina ac patroni dicti
hospitalis et quattuor maiores confratres confraternitatis
predicte qui pro tempore fuerint et eorum quilibet tam in ipso
hospitali quam extra illud quemcumque presbiterum secularem et
cuiusvis ordinis regularem possit eligere confessorem qui vita
respective eis comite eorum confessiones audire et illis audi-
tis ipsos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis
suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et
penis excessibus et delictis videlicet de reservatis etiam
in dictis preterquam contentis in dictis litteris cene domini semel
in vita et in mortis articulo in aliis vero totiens quotiens opus
fuerit absolvere et omnium peccatorum de quibus corde contriti
et ore confessi fuerint etiam semel in vita et in mortis
articulo plenariam remissionem eis in sinceritate fidei ac obe-
dientia et devotione nostris et successorum nostrorum Romanorum
pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate
apostolica impendere valeat. Sic tamen quod idem confessor
de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam
ipsis per eos si supervixerint vel alios si forte tunc transi-
erint faciendam iniungat quam ipsi vel illi facere teneantur ut prefertur

Quinsuper tempore interdicti ex dicta auctoritate
appositi omnes et singuli Confratres patroni servitores et
officiales dicti hospitalis protempore existentes etiam extra
dictum hospitale si eos vel eorum aliquem a dicto oppido abesse
contigerit alibique necnon pauperes et miserabiles
persone in eodem hospitali dumtaxat quotiens opus fuerit
super dicto altari per dictos Capellanos et alios presbiteros
Idoneos seculares vel regulares in eorum presentia dum
modo ipsi causam non dederint interdicto ac per eos
non steterit quominus pareatur in hiis ob que interdictum
dicta auctoritate appositum fuerit missas et alia divi-
na offitia celebrari et dicta sacramenta sibi ministra-
ri facere ipsisque missis et offitiis interesse Et si aut un-
quam aliquem patronorum et confratrum ac servitorum
etiam extra pauperum vero et aliorum infirmorum predictorum
intra hospitale et oppidum predicta dicto durante in-
terdicto decedere eius cadaver ecclesiastice sepulture in
qualibet ecclesia loci ubi decesserit etiam cum pompa
funebri traddi possit Et quod si aliquo tempore preter et contra
mentem dicte Catherine et fundationem dicti hospitalis
aliquis de regimine eiusdem hospitalis aut alio quovis
modo se intromittere presumpserit durante questione seu
controversia huiusmodi dicti patroni et quattuor confra-
tres maiores administrationem bonorum ipsius hospitalis
gerere et necessaria eidem hospitali ministrare teneantur
iuxta ordinationem per ipsam Catherinam desuper faciendam
finita vero dicta questione sive controversia administratio
eorundem bonorum ac personas per ipsam Catherinam ad id no-
minandas revertatur Et quod siquis ex patronis seu confratribus

maioribus prefatis questionem sive discordiam super p[re]
missis fuerint vel moverint procuraverint ius si q[uo]d patronis
patronatus cuiusque comodo et honore privatus et si q[uo]d
confratribus fuerit adicta confraternitate et quibus
existat eo ipso ac q[uod] bona dicti hospitalis etiam que dicta
Catherina illi reliquerit etiam in evidentem utilitatem dic-
ti hospitalis cum aliis permutari seu cambiari aut vendi
vel ad alienari perpetuo vel ad tempus non possint ac q[uod]
pro fabrica et reparatione et manutentione eiusdem hospitalis
in quibuscumque terris vel locis publicis elemosine queri seu q[uer]i
fieri et quod tam ad altare capellam maiorem tunc nuncupato
predictum quam in dicto hospitali festum resurrectionis domini
nostri Jesu Christi secundum ordinationem per eandem Catherinam de
consilio peritorum faciendam celebrari debeat ac quod dicti hospitalis
gubernatores qui pro tempore fuerint in quibus altaris maioris ad
hoc dumtaxat ut missas ibi et divina offitia iuxta ordinationem
predictam per fratres dicte domus quos ad hoc astringimus cele
brari faciant patroni consentiant et quod apud altare et in tu-
to illius circuitu capellam maiorem nuncupato huiusmodi nulla
pro tempore defunctorum cadavera nisi per dictam Catherinam no-
minandorum valeant sepeliri Preterea quod omnibus et singulis
utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis qui in dicto
hospitali decesserint vel qui illi deservierint in fine eorum vite
impensis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam
et qui hospitale predictum die veneris maioris ebdomade et
in resurrectionis domini nostri Jesu Christi et in sancti Joannis baptiste
et in beatorum Petri et Pauli apostolorum et in sancte Catheri-
ne festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis cuiusli-
bet dierum et dictarum festivitatum devotionis visitaverint et pro
reparatione manutentione et conservatione dicti hospitalis
manus porrexerint adiutrices quoties id fecerint viginti annorum

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis rela-
xationem qui vero quadragesimalibus et aliis anni temporibus
et diebus quibus nonnulli in urbe et extra illius muros consistentes
ecclesias pro stationibus consequendis visitare consueverunt
idem hospitale similiter visitaverint eas indulgentias et
peccatorum remissiones consequantur quas consequerentur
si dictas urbis et extra illius muros consistentes ecclesias
huiusmodi personaliter visitarent apostolica auctoritate prefata statu-
imus et ordinamus decernentes presentes litteras sub qui-
busuis revocationibus suspensionibus limitationibus indul-
gentiarum facultatum indultorum et pro fabrica dicte basilice
per nos et sedem predictam pro tempore factis minime com-
prehendi sed ab illis semper exceptas esse et censeri debere
Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis
ceterisque contrariis quibuscumque Volumus autem quod si hos-
pitale predictum visitantibus et ad premissa manus ad-
iutrices porrigentibus aliqua alia indulgentia perpe-
tuo vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos
concessa fuerit eedem presentes littere quo ad indulgen-
tiam viginti annorum huiusmodi nullius sint robo-
ris vel momenti Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostre absolutionis concessionis applicatio-
nis exemptionis liberationis subiectionis statuti ordi-
nationis decreti et voluntatis infringere vel ei ausu teme-
rario contraire Si quis autem hoc attemptare presumpserit
indignationem omnipotentis dei ac beatorum petri et pau-
li apostolorum eius se noverit incursurum Datum
Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis
dominice Millesimo Quingentesimo quarto

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Decimo Calendas Junij Pontificatus
nostri Anno Secundo.

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

+ + Reon 20.

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO